exercitatus ignorare possit. Quod autem ego, post tot eximios qui in hoc negotio præcessere viros, rem hanc aggrediar; non eo factum est animo, ut eorum laboribus quicquam ego derogatum velim; sed quod non ita rem hactenus absolutam putaverim quin & mihi pariter, quod post illorum messem colligam, etiamnium supereſſe putem spicilegium.

Et quanquam eorum pars magna, quæ nunc proferimus, Auditoribus nostris jam publicis fuerint prælectionibus expositа. Attamen, cum nec eosdem plane auditores continuis semper prælectionibus adesse, res ipsa clamet; & quidem, si adessent, non eâ tamen valeant memoria, ut non sæpe ad ea quæ præcesserunt respicere subinde opus habeant; quid, quod & hujusmodi studia non ea sint quæ auditione prima satis imbibantur, sed attentam insuper mentem postulent, & contemplationem, qua pensitemus serio, & dictis immoremur: Haud importunum fore autumo vel ipsis qui hæc audiverint, nedum aliis, ut & oculis eadem subjecta habeant, quo & ea persentiscant altius, & seriis, hisce, cogitationibus assuescant.

Rem ipsam quod attinet; non est ut nova hic expectetis omnia; sed neque nulla tamen. Numerorum natura, saltem quoad integros jam olim erat veteribus probe nota. At calculus eorum perplexus admodum & intricatus, labore plane improbo absolvendus: Et sequando ad integrorum particulas descendendum erat, ad scrupulos sexagesimales confugiebant (qui integrorum instar habebantur) aut etiam ad Rationum doctrinam figuris lineisve explicandam. Atq; hinc factum autumo, quod Rationum Doctrinam, quæ mihi quidem Arithmeticæ potius considerationis videatur (atque ad omnes plane Matheseos partes perinde spectet,) ad Geometriam plane religarint; partem scilicet quod lineis facilius quam laborioso illorum calculo res ex-

 igatur